

gionibus, presertim ex Gothia, que & Scandinavia, sepe magna colluuiēs hominum erupit, occupaturi alias terras, nouasque quesituri sedes. Hinc enim pderunt Gothi, Gepidæ, Rugi, Vandalii, Heruli, Turcilingi & Vuinili, qui postea à prolixis barbīs Longobardi dicti sunt, de quibus multa apud historicos inueniuntur.

Sclauonia.

Sclauonię uoce accipiuntur Stiria, Carinthia que et Illiris, Dalmatia, Croatia et Coruatiā. Lingua uero Sclauonica utuntur plurimę gentes, nempe Bohemi, Poloni, Lithuani, Russi, Moscouitæ, Bulgari, Carni, Bosnitę & multi alij populi. Excipiuntur Vngari qui propriā habent linguā. Stirij populi sunt agrestes & strumosi, adeo quidem ingenti struma, ut ipsis loquelam impediat, & mulier lactans post tergū perinde atq; saccū reijciat ne infanti impedimento sit. Sunt autē Stiriani cultu & sermone Germani, preter Draui ac colas, qui Illirica utūtur lingua. Sal ibi coquitur, quod ad finitimas deferē gentes. Regio ferri & argēti est ferax, montana plurimum præterquam ad ortum uersus Pannoniā. Dicta olim fuit Valeria. Carinthia mōtana est regio, multatq; in ea ualles & colles feraces tritici, multi lacus, multi amnes, quorum præcipuus Drauus. Bosna olim fuit Mœsia superior, subactaq; est à Turca anno Christi 1461. Dacia olim, hodie in uarias est diuisa prouincias, nempe in Transsylvaniā, Rasciam, Seruiam, Septem castra & Bulgariā. Transsylvaniam uulgo uocant Zipserland & Rasciam Retzen, Septem castra Septemburgenses & Seruiam Syriem. Septemburgenses in medio Sclauonicę linguę loquunt Germanice, sicut Bohemi inter Germanos loquuntur Sclauonice.

Bohemia.

Habuit Bohemia olim populos Quados & Marcomannos, includiturq; finibus Germaniæ. Latitudo eius longitudini ferē par est, cingiturq; sylua Hercynia tanquam natiuo

muro. Albi fluuiō media irrigatur, atq; quodam alio Mulrauiō nomine, ad cuius ripā Praga sita est, amplissima urbs & totius regni caput. Fuit à multis annis Ducatus, uocatūsq; est primus dux Zechius, licet alij Primislaum Pragę fundatorem, primū uelint esse ducem. Anno Christi 1086, dux Vratislaus factus est ab Hērico quinto primus rex, additq; sunt regno Slesia, Lusniza & Morauia. Huic successerūt in regno filius & posteri Vladislaus, Vladislaus, Przemisel, Vuentzeslaus, Przemisel, Vuentzeslaus. Et hic moriēs sine filio, unicā filiā eius Elisabet cōiugem accepit Ioannes comes Lutzelburgensis filius Henrici septimi imperatoris, fuitq; regnum Bohemię ferē ducentis annis sub comitibus Lutzelburgensib. Huic successit filius Carolus nonus Bohemię rex, factus quoque Romanorum rex, quartus nomine, & hic supra modum ditauit Regnum Bohemię, sed nō sine iactura Romani imperij. Idem Carolus anno Christi 1360. fecit ex episcopatu Pragēsi archiepiscopatum, & deinde anno 1370. instituit Pragense gymnasium, quod durauit usque ad annum 1408. tunc ob Hussiticū dogma fuit translatum ad Lipsiam Misnæ oppidum. Patri successit filius Vuentzeslaus in utroq; regno, cui deposito successit frater Sigismundus. Qui Sigismundo successerint, uide in genealogia regū Vngarię. Porro solum Bohemię est ferax hordei & tritici, abundatque pecore & piscibus: olei autē sterilis est, quemadmodum Germania ipsa. Vino nō omnino caret, ceruissiam optimam facit, quæ Viennam usq; uehitur.

Vngaria.

Vngaria nunc ea regio est, quæ olim Pannonia inferior fuit, licet illa non tam late patuerit ut hodie Vngaria. Fuit autē terra illa ab antiquis temporibus diuersarum nationū diuersorium. Gothos pepulerunt Huni, & Hunos excluderunt Longobardi. Quicū 42. annis eam regionē possedissent, anhelantes pro Italia acquisitione, Hu